

Prologus libri sexti

Incipit prologus libri sexti.

Sciet is qui

foris est noster homo corruptus: tamen his qui intus est renouatur de die in diem. ii. Cor. iij. Antiqui philosophi de homine

tres fuerunt generales sententiae. Quidam hominem esse substantiam tamen corpoream tradiderunt: sicut Democritus et Leucippus et philosophi epicuri qui posuerunt animam esse corpus: et per hunc totum hominem esse corporeum posuerunt. Alii solum in corporeum. id est animam hominem vocauerunt: ut Plato et alii stoici qui solam animam quam incorpoream ponunt voluerunt ad substantiam hominis et spiritus pertinere. corpus vero quoddam instrumentum esse velut est naute nauis. Alii autem ex utroque compositum tanquam ex essentialibus partibus animam atque corpore velut ex forma et materia hominem tradiderunt: ut Aristoteles et sui sequentes qui sunt peripatetici dicti. Multum vero velut veriori sententiae apostolus Paulus presentiam utriusque in verbo proposuit. id est corpus et animam appellauit ut utriusque ad essentiam hominis ostenderet pertinere. Et inquit is qui foris est noster homo corruptus: tamen is qui intus est renouatur de die in diem. Homo tamen corpus vel animam perfectum esse hominem credidit: sed utriusque per figuram synecdoches totum nomen attribuit utriusque parte hominem hominem appellauit: immo corpus non simpliciter hominem sed exteriori hominem interiori vocauit: et corpus insuper corruptibile dixit: animam vero non corruptibilem sed renouabilem esse ostendit: actus vetustas et corruptio corporis ad renouandum saltim animam nos inducat. Sed notandum est quod homo interioribus exteriori adiunctum. id est anima corpus tanquam subiectum siue materiam in qua indiuiduatur: tanquam instrumentum quo operatur: tanquam speculum in quo contemplatur: tanquam stimulum quo humiliatur: et etiam tanquam exemplum quo rectificatur.

Primo ergo inheret corpori anima velut materiae forma. Tamen philosophus dicit quod anima est actus corporis. id est forma. Sed sic materia per formam perficitur et specificatur: ita forma per materiam contrahitur et indiuiduatur. Et hanc rationalem animam que est humani corporis forma sit in se immaterialis videlicet ut nullam habeat materiam ex qua fiat: habet tamen extra suam essentiam materiam quam informatur. In qua scilicet dum creatur recipitur et indiuiduatur anima rationalis. Se-

cundo interior homo habet exteriori coniunctum videlicet anima corpus: ut instrumentum proprium quod mouet et per quod agit. Et ideo circa membra varia corporis diuersis anime viribus ut organa coniuncta deseruiunt ad suas operationes explendas: a quibus tamen intellectus excipitur qui fantasmate non ut organo indiget: sed tantum ut obiecto sicut philosophus tradidit. Quia igitur eget anima corpe ut artifex in instrumento vel organo ad agendum: non incongrue philosophus dixit distinguendo animam: quod anima est actus corporis organici. Nam omnia corporis membra sunt instrumenta anime organa ad diuersa et necessaria opera facienda. Et quia operum exteriorum plurima precipue manu sunt vocatur a philosopho manus organum organorum.

Tertio eget anima corpe ut interiori ipsius oculo. id est menti vel intellectu exteriorum rerum imagines velut quoddam depropinquo speculum representent. Nam sensus hominis in corporeis organis exteriorum rerum imagines et fantasmata intellectui representant. Ex quibus per abstracti onem intellectus agentis in anime intellectu possibili vniuersales et intelligibiles species reponuntur. Unde fantasmata in corporeo organo velut quidam colores in speculo interiori visui anime representantur. Et ideo philosophus dicit quod fantasmata se habent ad intellectum sicut colores ad visum. Quarto quoque ne tam nobilis anima ut est rationalis ex aliquo sibi munere dato naturali vel gratuito extollatur: infirmi corporis stimulum patitur: sicut apostolus dicit. ii. Cor. xij. Ne magnitudo reuelationum extollat me datus est mihi stimulus carnis mee. Porro ergo omnis corporis anima: ut eius ponderis repressa grauedine ad id quod super se est inaniter non leuetur. Unde dicitur Sapientie. ix. Quod corpus quod corrumpitur aggrauat animam et deprimit terram inhabitatio scilicet. Aduerte igitur quod ex corpore anima ut in superbiam eleuari non possit plurima grauamina patitur. Nam porrat anima corpus: sicut hostem: sicut pestem: sicut carcerem: et sicut comitem. Sed est hic periculosus hostis: pestis siue morbus perniciosus. Carcer penalis et angustiosus. Comes siue conuersus gra-